

Band IV., Nr. 1093, Seite 155-156

Papst Innozenz IV. übergibt das Kloster der hl. Elisabeth zu Ulm (Söflingen) dem Minoriten-Ordensgeneral und -Provinzial für Deutschland.

Lyon, 1247. Juli 24.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis, . . generali ordinis et . . provinciali fratrum Minorum Alamanie ministris, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum, . . abbatisse et . . conventus monialium inclusarum monasterii sancte Elizabeth Ulmensis, ordinis sancti Damiani, Constantiensis diocesis, fuit propositum coram nobis, quod eodem incluse corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote domino famulantes, vobis desiderent pro sua salute committi, nos pium earum propositum in domino commendantes, ipsarum supplicationibus inclinati, eas et idem monasterium auctoritate apostolica vobis duximus committenda, eadem auctoritate nichilominus statuentes, ut ipse sub magisterio et doctrina . . ministrorum generalis ordinis et provincialis Alamanie dicti ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero debeant permanere, illis gaudentes privilegiis, que ordini predicto fratrum ipsorum ab apostolica sede concessa sunt vel in posterum concedentur, ipsique generalis et provincialis ministri animarum suarum sollicitudinem gerentes et curam dicto monasterio per se vel per alios fratres sui ordinis, quos ad hoc idoneos viderint, quotiens expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite quam in membris, que correctionis seu reformationis officio noverint indigere. Nichilominus instituant et destituant, mutant et ordinent, prout secundum deum viderint expedire, – electio tamen . . abbatisse libere pertineat ad conventum, – confessiones earum audiant et ministrent eis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo, quod in eodem monasterio fratres vestri ordinis residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, predicti generalis et provincialis ministri ad confessiones in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta nec non divina officia celebranda deputent eis aliquos discretos et providos capellanos. Ad hec liceat eisdem . . abbatisse et sororibus, redditus et possessiones recipere ac ea libere retinere. Non obstantibus contraria consuetudine seu statuto sui ordinis, confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roboratis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus omnia premissa curetis diligenter et sollicite iuxta commissionis et constitutionis nostre tenorem, sublato cuiuslibet difficultatis dispendio, adimplere.

 Datum Lugduni, IX. kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

II

—

Der Textabdruck erfolgt nach einer Zusammenstellung der Prozessdokumente, welche die von dem Propst der Kirche zu Zürich, Crafft von Toggenburg, als päpstlichem Delegierten subdelegierten Richter, der Kantor Rinwin und der Thesaurarius Ulrich an derselben Kirche, 1312 März 18, in Betreff des Streites zwischen dem Abt Diethelm von Reichenau und dem Kloster Söflingen wegen der Zehenten zu Söflingen, Butzenthal und Harthausen fertigen ließen.

 Diese Urkunde ist ein zusammengesetztes, 4^m 11^{cm} langes und 24^{cm} breites Pergament und besteht aus sieben Stücken, deren jedes an den Enden rechts mit dem Siegel des Kantors, links mit dem des Thesaurarius versehen ist.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 509 U 175

Überlieferung und Textkritik:

Die Urkunde ist in einem 4,11 m langen Pergamentrolle, 1310 Oktober 17 bis 1312 März 18, enthalten: StA Ludwigsburg B 509 U 175.

Editionen:

FRIEDRICH PRESSEL (HRSG.): Ulmisches Urkundenbuch, 2 Bde., Stuttgart bzw. Ulm 1873-1900, Bd. 1, S. 78.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lyon

Aussteller:

Innozenz IV.; Papst

Ortsindex:

Deutschland
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Lyon, Dep. Rhône, Frankreich
 Söflingen Wohnplatz (16646)
 Söflingen, Ulm, UL
 Ulm UL
 Ulm Gemeinde (16620)
 Ulm Wohnplatz (16648)
 Ulm, UL